Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25997
Copyright: Admont, Benediktinerstift

secundum ordinem melchisedech. Hic melchisedech in diuinis uoluminibus sacerdos esse dei summi refertur. sed qui non oleo communi per unctus sit. neque quod ex successione generis susciperet sacerdotium. sicut apud hebreos fieri mos erat. Et ideo secundum ordinem ipsius futurus dicitur christus. qui non olei liquore sed uirtute celesti christus esse secretur. Idcirco cum multi apud hebreos oleo in hoc ipsum sollempniter esse secreto uncti sint christi. et siue reges siue prophete siue pontifices per hoc fuerint instituti. nullus tamen ipsorum uel gentium uel discipulis ex suo uocabulo nomen dare potuit. nisi hic solus qui uerus est christus.

Hic rector suos populos et uniuersos per totum mundum credentes ex suo id est christi uocabulo appellari fecit perenni nomine christianos.

I GAUDEAMUS FRATRES KARISSIMI in die sancto festiuitatis dei genitricis quia sacratissimus eius partus non solum humani generis restaurare uenerat dignitatem. sed etiam suam nobis tribuit diuinitatem. ut iohannes euangelista dicit. Quod quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios dei fieri. Et nos ideo cunctis precontius ueneremur auctricem. ut ipsa pro nobis suum filium interpellat dominum saluatorem. et quia ad eius uicem matris nostre ecclesia forma est instruit. ipsa eam inter procellas seculi frementes aspiciat. ipsa eam inter cursus mundiales continua oratione confoueat. Neque enim dubium quin meruit pro liberandis proferre premium eam posse ereptionis impetrare suffragium.

II rā inter hec oratio iugis ad dominum dirigatur. ut qui p